



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

O.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

O B E D I E N T I A. 307

indantur à testatore, exonerandi heredis gratia. Et idem est iudicium de usufructu, cuius liberam dispositionem habet ubique Novitius, cum sit verum ius acquisitum. *art. 5.*

Novitij, cum non sint verè Religiosi, nec pro talibus habeantur, non subiiciuntur pœnis, aut reservationi casuum. *tom. 1. q. 21. art. 11.*

O B E D I E N T I A.

Vide Abbatissa, Beneficium, Clausura, Episcopus, Exemptio quoad Superiores, Pœnis, Votum.

Obedientia, secundum *D. Thom.* est virtus moralis promptam reddens voluntatem, ad implendum voluntatem præcipientis. *tom. 3. q. 19. art. 1.*

Obligat in actibus exterioribus, & quibusdam interioribus, qui subsunt exterioribus, v.g. Prælato præcipienti, ut celebrans applicet talibus Missam, tenetur inferior parere. *art. 2.*

Nemo tenetur obedire in his quæ nullo modo pertinent ad Obedientiam Regularem; dummodo

non contemnat Superiorem, id est,
non omittat obedire, ex eo quod
non vult ei subiectionem præstare.
art. 3.

Præfato præcipienti rem per se
licitam, tenetur subditus obedire,
etiam si dubitet an Superior possit
id præcipere; & multò magis
quando scit Superiorem posse qui-
dem id præcipere, sed dubitat an
ipse in hoc teneatur ei obedire.
art. 4.

Non tamen si talis obedientia ad-
ferat subdito, aut alteri periculum,
vel notabile præiudicium tempora-
le seu spirituale, in personis, rebus,
honore, &c. *ibid.*

Obediens in his quæ scit, vel pro-
babiliter dubitat esse mortalia, cer-
tus interim quod cessando à tali
opere præcepto non peccaret, pec-
cat obediendo; quia agit contra
conscientiam: secus est, si utrimque
dubitaret de peccato, quia tunc vi-
tandum esset maius malum. *art. 5.*

Quando utrimque par est du-
bium, & æquale periculum, depo-
nenda est conscientia, & obedi-
endum, quia hoc est securius, ut ex-
presse

OBLATIO. 309

pressè declarauit *Leo X.* & in quodam nostri Ordinis Decreto habetur, quòd in omnibus dubiis tenentur subditi obedire. *art. 6.*

Probabile est, Fratres Minores missos à Superioribus ad Indos, non teneri, cùm Regula, dicat: *Si qui uoluerint*: & quia talis obedientia est molestissima, plena periculo corporis & animæ; aliud est de Iesuitis, qui ad similes peregrinationes speciali se voto obligant. *art. 7.*

Regularis etiam, præcipiente Superiore, non tenetur Episcopatum acceptare, cùm ille status excedat obseruantiam promissam; in his tamen casibus summo Pontifici obediendum, utpote cui cura vniuersalis Ecclesiæ incumbit. *art. 8.*

OBLATIO.

Non possunt Episcopi, aut alij Ecclesiarum Prælati sibi, aut suis Clericis applicare oblationes quæ fiunt in Ecclesiis Mendicantium, sub excommunicatione lata à *Bonifacio* in fauorem Prædicatorum, *tom. 3. q. 20. art. 1.*

V. ;

OBLA

*Vide Communicatio privilegiorum,
Testamentum, Votum.*

Ille dicitur Oblatus in omni Re-
ligione, qui se, suaque offert do-
no perpetuo; sed non profitetur
Regulam; nec habitum suscipit; &
talis non est Religiosus, etsi fece-
rit Abbati votum obedientiæ, ca-
stitatis, & paupertatis; quia non
facit solenniter secundum Regu-
lam aliquam Monachalem, nec in-
corporatur Religioni. *tom. 3. qu. 21.
art. 1.*

Licet Oblati offerantur seu præ-
sententur Religioni per illam sui
donationem, possunt tamen ad aliam
Religionem, etiam invito Superio-
re, transire; quia non intenderunt
se aliter obligare. *art. 1.*

Tales Oblati, cum sint persona
privilegiata, ut alij Ecclesiastici,
gaudent, quoad absolutiones & in-
dulgencias privilegiis Fratrum Or-
dinis cui donantur, sicut & Pinzo-
chera seu Mantelata. *art. 3.*

Oblati deferentes habitum Re-
gularem aut Clericalem, si scilicet

OFFIC. ORDIN. 318

se Ecclesie seculari obtulerint, honeste viuentes sub obedientia Superioris, & diuinis obsequiis insistentes, etiam dum cum vxoribus habitant, gaudent priuilegio fori adinstar Acolythorum. *art. 4.*

OFFICIUM ORDINIS.

Officium in Ordine, est administratio sine præminētia, vt Sacrista.

Præpositura, est munus præcedendi.

Personatus, est præminētia sine iurisdictione, vt Diffinitoriatus.

Dignitas, est administratio cum iurisdictione, vt Guardianatus. *tom. 1. q. 22. art. 9.*

Officiis Vicarij Conuentus sub Guardianato, Magistri Nouitiorum, & Confessarij Monialium, annexa est tantum iurisdictione delegata. *q. 13. art. 20. Vide Vicarius.*

Regularis priuari potest sua Prælatione per sententiam Iudicis propter aliquod delictum, quod licet non sit expressum in iure, est tamen adeo graue in Religione; vt arbitrio grauium Religiosorum tali sit pœna plectendum. *tom. 2. q. 26. art. 2.*

Ordinum Mendicantium origo.

Licet omnes Religiones, quæ viuunt ex eleemosynis secundum etymologiam vocabuli, possint dici Mendicantes; illæ tamen, quæ ab initio hoc sibi nomen vendicant, sunt quatuor, scilicet Ordo Prædicatorum, Beati Francisci, Eremitarum Diui Augustini, & Carmelitarum, qui propriè, & principaliter Mendicantes appellantur; quamuis aliqui eorum bona stabilia in communi possideant. Et his adiuncti sunt per constitutiones Apostolicas, Ordo Minimorum, Seruorum Beatæ Mariæ, Iesuatorum Sancti Hieronymi, & Societatis I E S V.
tom. 1. q. 2. art. 2.

Ordo Prædicatorum initium habuit à Beato Dominico, qui suæ Regulæ approbationem obtinuit circa annum Domini 1216. Ex quo plurimi in Ecclesia Dei & sanctitate, & scientia floruerunt: estque iam diuisus in Conuentuales, & Obseruantes. *art. 2.*

Ordo Fratrum Minorum ad instar Sanctæ Dei Ecclesiæ, pulcherrima varietate Congregationum,
diuersis

ORIGO ORDINVM. 313

liuersis exercitiis ad vnum finem tendentium decoratus, Authorem sui & institutorem habet Seraphicum Patrem S. Franciscum. Hic duas Regulas composuit pro Minoribus, quarum primam approbavit *Innoc. III.* anno Domini 1212. secundam, quam totus Ordo iam tenet, *Honorius III.* anno circiter 1224. Et iam in tantum numerum Fratrum, & Congregationum excreuit, vt sub vno capite generali, successiuo ordine per Canonicam electionem à Sancto Francisco descendente, sint quatuor familiæ, scilicet de Observantia, quæ fluxit ex Conuentualibus anno 1414. Reformatorum, Recollectorum, & Discalciatorum, Sub eiusdem Fundatoris instituto sunt Conuentuales, Capuccini, Amadei, Clareni, Alchantaristæ, & Paschalistæ. *art. 3.*

Ordinem Eremitarum S. Augustini ipsemet Augustinus instituit, sed cum penè destructus esset per ruinas Vandalorum, fuit reparatus à quodam Sancto Gulielmo Duce Guasconiaë circa annum 1157. à quo diu dicti Guilielmitæ; sed

314 ORIGO ORDINVM.
deinde reformatus per quendam
Ioannem cognomento Bonum in
Italia, ab *Alexandro IV.* confirmatus
est sub nomine Eremitarum Sancti
Augustini. Duæ sunt in eo Congre-
gationes, Conuentualium, & Ob-
feruantium. *art. 4.*

Ordinis Carmelitarum Autho-
res fuerunt deuoti quidam in mote
Carmeli Beatam Virginem præci-
puo honore colentes, quibus Ioan-
nes Patriarcha Hierosolymitanus
uiuendi Regulam conscripsit; sed
anno 1110. Albertus similiter Pa-
triarcha Hierosolymitanus aliam
eis commodiorem contexuit, quam
Honorius III. confirmauit; & postea
Eugen. I V. aliquantum moderauit,
præsertim quoad abstinentiam car-
nium. Hodie etiam diuisus est præ-
dictus Ordo in Conuentuales, &
Obferuantes; ex qua demum Ob-
feruantia quidam verè zelatores
anno 1558. primam Regulæ Obfer-
uantiam impetrarunt à *Greg. XIII.*
sub nomine Fratrum Discalciatorum,
degentes tamen semper sub obe-
dientia Prouincialis de communi
Obferuantia; sed *Clem. VIII.* eis Ge-
nera

ORIGO ORDINVM. 315

neralem dedit ab omni alio independentem. *art. 5.*

Ordo Seruorum B. Mariæ à septem nobilissimis viris Florentinis in monte Seuerio prope Florentiã, monitu B. Mariæ mirabiliter cœpit, ac mirabilius propagatus est anno 1233. sub *Greg. IX.* Virgineoque monitu hunc quem ferunt habitum, ac Regulam S. Augustini obseruare cœperunt. Nomine verò Seruorum B. Mariæ nuncupati sunt à voce infantum, qui septem supradictis elemosynam per ciuitatem quæritantibus exclamarunt. *En Serui Beata Maria veniunt, date elemosynam.* Ordinem hunc Pater Nicolaus Penestanus in Conuentuales, & Obseruantes distinxit. *art. 6.*

Ordinis Minimorum caput, & Fundator fuit inclytus S. Franciscus à Paula, anno 1450. qui ob multitudinem tam virorum, quam mulierum ad se confluentium Regulas tres instituit, vnã pro Fratribus, aliã pro Monialibus, & tertiam pro Tertiariis seu Mantelatis, quæ confirmatæ & approbatæ fuerunt à *Sixto IV. Innoc. VIII.* &

Ale

Alexandro V. art. 7.

Ordinis Iesuatorum Sancti Hieronymi, seu Clericorum Apostolicorum author fuit Ioannes Columbinus nobilis inter Senarum ciues, anno 1355. fuitque per *Vrbani V.* approbatus. Dicuntur autem Iesuati, eo quod solerent semper sanctissimum *I E S V* nomen in ore habere; & Sancti Hieronymi (licet militent sub Regula Sancti Augustini) quia eum præcipuum patronum elegerunt, ex concessione *Alexandri V I.* qui eos vocari præcepit Fratres Iesuatos Sancti Hieronymi. Exercent se maxime in visitandis infirmis, & aliis manualibus opetibus, ad vitandum otium. *art. 8.*

Ordini Iesuitarum initium dedit Beatus Pater Ignatius, suscitatus à Deo in adiutorium sanctæ suæ Ecclesiæ contra Lutheranos. In hoc Ordine, alij sunt solemniter professi, qui propriè & irreuocabiler sunt Religiosi, & Mendicantes; alij Scholares, qui simplicia dumtaxat vota emiserunt; de quibus dubium relinquatur, an sint de Cõgregatio-

M. ORIGO ORDINVM, 317
nis corpore, & per consequens sint
Mendicantes, art. 9.

*Ordinum non Mendican-
tium Origo.*

Ordo Canonorum Regularium
initium habuit ab ipsis Apolto-
lis, quorum tamen Cōgregatio fuit
à B. Augustino regulariter ordina-
ta, cum quibus ipse vixit. Hi ali-
quando dicuntur Canonici Latera-
nenses, eo quòd à Gelasio discipulo
Diui Augustini, vsque ad *Bonifacium*
VIII, per octingentos annos in
illa Ecclesia habitauerunt; & licet ex
eo tempore dicti loci dominiū per-
diderint, titulum tamen & priuile-
gia non amiserunt. *q. 3. art. 1.*

Sunt alij Canonici Regulares, qui
videntur reformati priorum, quo-
rū reformatio cœpit extra urbem;
sed grassantibus bellis translati sunt
intra, in Ecclesiam Sancti Saluato-
ris, vnde & Canonici Sancti Salua-
toris dicti sunt. *ibid.*

Supradicti non sunt de numero
eorum, quorum memoriam faciunt
Pontificum iura: illi enim sunt in-
stituti per D. Hilarium, & per Apo-
stolos, & Episcopos eorū successo-
res.

Pres,

318 ORIGO ORDINVM,
res, & per D. Augustinū reformati,
necnon ad antiquum statum Cano-
nicorum Cathedralium Ecclesiarum
restituti. Illi autem, quos ius Cano-
nicum Regulares Canonicos vocat,
suam originem minū antiquā ha-
bent à Sancto Arnulpho Episcopo
Franciae, anno Domini 1117. sub
professione Regulæ S. Augustini.
Quorū modus viuendi, cū neque
omnino esset Monasticus, nec om-
nino Clericalis, fuit diuersis titulis
ipsius rigor signatus, & à Papa Be-
ned. XII. an. 1342. multis gratiis &
priuilegiis ampliatur. In Gallia, Ita-
lia, & maximè in Lusitania sunt val-
de reformati, & cōmuniter Canoni-
ci Regulares Diui Augustini nuncu-
pantur; non quia eorum Religio à
Diuo Augustino fuerit Instituta, sed
propter Regulam ipsis ab ipso Au-
gustino traditam. *ibid.*

Ordo Sancti Benedicti fuit pri-
mus omnium in Occidente, sicut
Ordo Sancti Basilij primus fuit in
Oriente; primū in Sublaco, ac
postmodum in monte Cassino, ab
ipso sanctissimo Patriarcha sum-
psit primordia, anno Domini circi-
ter

ORIGO ORDINVM. 319

ter 330. fuitque postea reformatus ab Odone in Abbacia Lunæ Sanctæ Iustinæ ciuitatis Paduæ anno 1410. Vocari solet hic Ordo montis Casini ac Sanctæ Iustinæ. Eius rami & Congregationes sunt, Congregatio montis Oliueti, Vallis-umbrosæ, Cisterciensium, Carthusienſium, Cælestinorum, Camaldulensium Sancti Hieronymi, & Fratrum militiæ Christi reformatorum regni Portugaliæ. art. 2.

Congregationem montis Oliueti Bernardus Prolomæus cum duobus aliis sociis Senensibus fundare cepit prope ipsam ciuitatem, anno 1319. sub *Ioanne XXII.* cuius iussu Guido Petramala, Episcopus ciuitatis Aretij, visione Diuæ Virginis præhabita, & habitum, quem nunc ferunt, dedit, & Regulam Sancti Benedicti obseruandam præscripsit.

Congregatio Vallis-umbrosæ habuit initium à *Ioanne Gualberto* in dicta valle prope Florentiam ad duo milliaria, circa annum 1040. vel secundum alios 1060. Hæc Religio iam defecisse dicitur. art. 4.

Cōgregarjoni Cisterciensium ini-
tium

320 ORIGO ORDINVM,
tium dedit quidam Stephanus Ab-
bas, anno 1098, vel iuxta alios
Robertus Abbas Abbatia Molif-
mensis. Hæc nomen sumpsit à quo-
dam Monasterio primitus ædifica-
to in quodam loco Cistertio dicto,
& paulò post sic fuit à D. Bernardo
illustrata, vt meritò eius Fundator
dici possit, retinet tamen Regulam
D. Benedicti. *art. 5.*

Congregationem Camaldulen-
sium, sic dictam à Conuentu Camal-
duli in territorio ciuitatis Aretij
prouinciæ Tusciæ, Beatus Romual-
dus è ciuitate Rauenna oriundus in-
stituit anno 1030, sub Regula San-
cti Benedicti. *art. 6.*

Congregatio Cælestinorum, qui
sunt Obseruantes sub Regula San-
cti Benedicti degentes, habuit ini-
tium prope ciuitatem Sulmonam
in loco dicto Mogella, à Cælestino
V. qui anno 1294. ad Papalem di-
gnitatem euectus, postea eidem re-
nunciauit, institutiq; sui cõfirma-
tionem à Greg. X. impetrauit. *art. 7.*

Carthusienses à S. Brunone ciui-
tatis Agrippæ, in territorio Grabo-
næ in loco Certosa dicto feliciter

cepe

ORIGO ORDINVM. 328

ceperunt, & licet non voueant aliam
quam Regulam ab Ecclesia appro-
batam, sed habeant sua statuta pro
Regula, laudabiliter tamen in ob-
seruantia suarum constitutionum
perseuerant. *art. 8.*

Congregatio Eremitarum Sancti
Hieronymi à Pisa, initium habuit
anno 1380. à Beato Petro de Pisa;
dicunturque Sancti Hieronymi, ob
incredibilem eorum deuotionem
erga illum, cuius discipali esse co-
nantur, *art. 9.*

De Congregationis Eremitarum
sancti Hieronymi in Hispania Au-
thore & tempore non satis constat.
Authorem seu potius Reformatorem
dicunt quidam fuisse doctissimum
quendam de Olmero; alij Eusebium
Cremonensem discipulum S. Hierony-
mi: alij quendam Sanctum Fratrem
Thomam. Quidquid sit, hoc insti-
tutum multi nobiles ingressi diuino
spiritu ducti à Gregor. XI. illius ap-
probationem petierunt, & obtinuerunt
sub Regula Sancti Augustini,
anno 1375. *art. 10.*

Ordo Crucigerorum à Sidiaco
Episcopo Hierosolymitano (qui
fuit

X

fuit

322 ORIGO ORDINVM.
fuit ille Iudas, qui Crucem Domini
Sanctæ Helenæ præmonstravit (ori-
ginem sumpsit anno 365. vt dua
Bullæ *Alexand. III. & Alexand. VI.*
testimonium ferunt; vel, vt Chro-
nica Martiniana & Sabella, à *Cleto*
II. post Diuum Petrum Pontificem.
Ordo hic sæpius ob bella extinctus,
toties restitutus fuit. *Pius I I.* anno
1460. ordinavit, vt Fratres illius ha-
bitu coloris cærulei azurini perage-
rent (cùm alio per prius colore
vestirentur) & confirmavit, vt præ
manibus semper Crucem gestarent,
ex quo in anteriori pectoris parte
semper & crucem argenteam, & ha-
bitum talis coloris gestare con-
sueuerunt. *art. III.*

Ordo Sanctissimæ Trinitatis ce-
pit in regno Gallia, temporibus
Anastasi IV. & Adriani IV. à Gul-
lielmo Duce Aquitaniæ, & Comite
de Pictavia; & postea ad instantiam
Ioannis Merencis eius socij ab *In-*
noc. III. approbatur anno 1197. Ex
illa Religione manavit illa illu-
strissima Confratria Sanctæ miseri-
cordiæ plena pietatis operibus an-
no 1498. à patre Michaële de
Contre

ORIGO ORDINVM. 323

Contreras instituta. *art. 12.*

Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede institutum fuit primo reuelatum Regi Aragoniæ domino Laymi ; & eadem hora Fratri Raymundo de Pennafort Ordinis Prædicatorum eius confessorio ; ne non nobili cuidam Petro Nolasco, qui fuit primus Ordinis Pater. Initium habuit Barcinonæ anno 1264. fuitque confirmatum à *Clemente IV.* anno 1264. Eius professores ultra tria vota quartum emittunt, quod dum vadunt inter infideles pro redemptione captiuorum, ibi debeant manere obsides pro liberatione captiui, si timeatur posse in fide periclitari *art. 13.*

Ordini Clericorum Regularium (qui communiter Theatini dicuntur) initium dedit Petrus Garrapha, postquam Episcopatu cessit, anno 1528. Vnde errant Hispani Iesuitas vocando Theatinos, *art. 14.*

Ordo Clericorum ministranti in infirmis cœpit anno 1584. à Patre Camillo de Celis Doctore : quem approbavit *Sixtus V.* & *Gregor. XIV.* miris priuilegiis decorauit, *art. 14.*

Præmonstratenses, sunt primum instituti à Diuo Norberto in Sancto Ioanne de Præmonstrato in regno Gallia, Diœcesis Laudunensis. Eorum Ordo fuit postea sub Regula D. Augustini confirmatus à *Paschals II. & Innocent. II. art. 16.*

Congregatio Sancti Gregorij in Algaba Venetiis originem duxit à quodam Gabriele Condulmerio, filio sororis Gregorii Papæ, ad reformationem Clericorum, in similitudinem Canonorum Regularium D. Augustini: & in Regno Lusitano à Ioanne Vlisipponensi; in quo Regno maximè viger hoc tempore. *art. 7.*

De Ordine militari.

Templarij à Petro Gregorio, aliisque instituti, tria vota emittebant, & albam vestem more Canonorum Regularium gestabant cum cruce rubri coloris in pectore, aut in palliis, & chlamydibus. Eorum officium erat, itinera ad Terram sanctam tunc recuperatam secuta reddere, & conservare. Sed postea penitus deleti sunt, eo quòd cum Saracenis in

Chri

ORIGO ORDINVM. 325
Christianum nomen conspirassent
9.5. art. 1.

Ordo militaris Sancti Ioannis Baptistæ cœpit anno 1099. Hierosolymis postquam in Christianorum potestatem redacta fuerunt, in hospitali Sancti Ioannis Baptistæ ibi constructo ad suscipiendos Latinos peregrinos; cui misericordiæ operi quidam se nobiles addixerunt, primique fuerunt huius sacri Ordinis Authores, art. 2.

Huius vitæ sectatores tria vota solemniter emittunt, & sæpe in literis Pontificum Fratres Sancti Ioannis vocantur, & Præfectus eorum Prior dicitur. Ferunt crucem albam in nigro vestitu; aliique cultui diuino, alij militiæ deputantur. Ad eorum institutum pertinet, Christianos contra Turcas defendere. Dicti sunt aliquando Equestres Rhodienses, quia ex quo perdita est Ierusalem, Rhodum se receperunt; sed iam Rhodo etiam perdita Malteses nuncupantur, ab Insula ad quam confugerunt. Ob votum paupertatis nihil habere possunt proprii; & Commendarum, quas accipiunt, nul-

lam habent proprietatem, sed solum administrationem; vnde morituri reddunt Societati quidquid apud illos est residui ultra alimentaria. *ibid.*

Ordinem militare de Calatrava instituit anno 1158. Sancius huius nominis tertius Rex Legionis & Castellæ, cognomento Desideratus, in quodam Cœnobio, quod prius Templariorum fuerat, hunc postea confirmavit *Alexander III.*, art. 3.

Ordo Alcantaræ; prout constat ex priuilegio illi cōcesso an. 1174. cepit Authore quodam Domino Gomezio Heruandes tempore Ferdinandi secundi Regis Legionis, approbatusque fuit à multis Pōtificibus. *a. 4.*

Ordo Sancti Iacobi habuit initium tempore Ramiri primi huius nominis Regis Hispaniæ, qui victoriam insignem contra Saracenos obtinuit auxilio D. Iacobi visibiler in equo albo, vexillo niueo, & in eo Cruce rubea pugnantis, circa annum 1160. In hac Religione sunt in triplici differentia personæ: quædam enim cultui diuino destinantur,

tur,

ORIGO ORDINVM. 327
tur, aliæ sunt Moniales, aliæ mili-
tes. *art. 5.*

Ordo militiae de Auis cœpit an-
no 1147. tempore Alphonſi Hen-
rici primi Regis Luſitaniæ. Eius
profefſores vouent Regulam Sancti
Benedicti; fuitque approbatus à
multis Pontificibus. *articulo. 6. Vide
plura in fine tom. 1.*

ORDO SACER.

Vide Abbas.

Priuilegia, quibus Superioribus
Oraminum concedebatur, vt ſuis
ſubditis literas darent dimiſſorias,
& mitterent eos ad quemlibet Epi-
ſcopum, non ſunt reuocata per *Con-
cil. Tridentin.* quamuis ordinandi de-
beant, aut per ipſos Superiores
(quorum examen ſufficit) aut per
Epiſcopos diligenter examinari,
iuxta eiufdem *Concil. Decretum ſeſſ.
22. de Reform. tom. 1. quaſt. 18. art. 6.
& quaſt. 24. art. 7. & tom. 3. quaſt. 24.
art. 1.*

Magnum quidẽ priuilegium circa
ordinandos fuit aliquando conceſſũ
Patribus Ieſuitis; ſed reuocatum eſt
per *Sixtum V. tom. 1. q. 18. art. 6.*

X 4

Non

Non requiritur tanta scientia ad ordinandum Monachum, quanta ad sæcularem : vnde non obstante *Concil. Trid.* possent Episcopi bonis & literatis Regularibus Ordines conferre, modò sciant legere, & nouerint essentialiter requisita in Sacerdote, cùm præsertim à suis Ordinariis Regularibus idonei iudicentur, quorum testimonio non minùs stari debet quàm aliorum Episcoporum, à quibus dantur dimissoria, *q. 24. art. 7.*

Secundùm priuilegia possunt adhuc hoc tempore Mendicantes extra tempora statuta ordinari, modò sit dies Dominica, aut semiduplex: nam *Conc. Trid.* dicta priuilegia non reuocat. *tom. 3. q. 23. art. 4.*

Quamuis plures Ordines eodem die recipere nequeant. *art. 5.*

Iesuitæ, cùm sint verè Religiosi, non indigent ad suscipiendos Ordines titulo patrimonij, aut beneficij : estò in sæculum remitti possunt. *art. 3.*

Suspensiones latæ à Sixto V. contra malè promotos non seruantes, requisita à *Conc. Trid.* procul dubio ligant

ORACVLVM. 329

ligant etiam regulares, nisi per priuilegia eximantur, vt de facto in plerisque exempti sunt. *art. 8.*

Hæc tamen censura suspensionis præsumptionem requirit: vnde non comprehendit bona fide procedentes. *art. 11.*

Olim poterat quilibet Episcopus iuxta concessionē *Sixti IV. & Leonis X.* in Ecclesiis, & personis Fratrum Minorum omnes actus Episcopales exercere absque licentia Ordinarij loci seu territorij, sed hoc reuocauit *Conc. Trid. tom. 3. q. 24. art. 2.*

Prælati Regularium in suis dimissoriis, quas suis subditis concedunt, nequeunt dispensare super interstitiis; sed humiliter dominum Episcopum rogare debent; vt id faciat non expressa tamen causa dispensationis, quod sanè deberet satis esse dominis Episcopis. *art. 3.*

Qui tamen ex nulla causa dispensare possunt, vt duo sacri Ordines eodem die recipiantur. *art. 5.*

ORACVLVM.

ORaculum viuæ vocis tantum valet, quantum Bulla, saltem
X. 5 que ad

330 ORNAMENTA.

quoad forum conscientiae; unde *Leo X.* concessit de nouo, & declarauit omnes Fratres secure vti posse viua vocis oraculis passim contentis in libris Ordinis. *to. 3. q. 22. art. 1. & 2.*

Nisi tamen Prouincialis cum Capitulo iudicauerit ab illis abstinendum: in hoc enim casu censerentur auctoritate Apostolica reuocata, & suspensa. *art. 3.*

ORNAMENTA.

Non licet Fratribus Minoribus procurare ornamenta pretiosa, nec utensilia, aut aedificia sumptuosa, quamuis iuxta priuilegia, & declarationem *Leon. X.* possint iam receptis vti, aut a spontaneè offerentibus cum assensu Capituli Prouincialis, secundum concessionem *Sixti IV.* de nouo acceptare, quandoquidem non sint illorum domini, sed tantum custodes. *to. 3. q. 25. a. 1.*

Item conceditur ipsis, vt illicite & culpabiliter procuratis vtantur in posterum: licet enim procuratio sit illicita, vsus tamen est licitus. *art. 2.*

PAROCHVS.

Quandocumque in priuilegiis dicitur, *Saluo semper* int
Pno